

Ut | promissa et facta hominum in suo robore perseverent et a via non devient veritatis, expedit ut scripturarum et testium fulcimentis memorie commendentur. Cum itaque dilectus ac fidelis princeps noster Reinboto episcopus Eistetensis contra nobilem virum Ludewicum comitem de Otingen iuniorem super quadam municionis structura apud Arenbûr in ipsius ecclesie fundo de novo erecta aliisque iniuriarum articulis gravem apud nos deposuerit questionem, nos ad tollendam tocus dissensionis et controversie materiam occasione premissorum inter eos exortam de consilio fidelium nostrorum Friderici burkravii senioris, Ludewici comitis de Otingen senioris, Gebehardi comitis de Hirzberg et Cunradi burkravii iunioris ac utriusque partis expresso consensu diffiniendo statuimus et auctoritate regia ordinamus, ut usque ad festum sancte Walpurgis proxime affuturum ipse Ludewicus de Otingen iunior universorum edificiorum structuram per eum vel suos in predicto loco ratione municionis factam, videlicet portas, sepes, propugnacula que vulgariter bercfrit dicuntur et thuguria que erker vulgariter nominantur prope ipsam sepem et supra fossatum sita omnino deponi et cum effectu faciat removeri. Aree vero ipsius episcopi ibidem et ecclesie sue dominio pertinentes vieque et strate priores, per quas coloni loci ab antiquis temporibus retroactis intrare et exire consueverant, ratione premissae municionis obstruete vel quomodo libet impedire^a ad anteriorem statum reducte restituantur pristinae libertati. Preterea quicquid alias inter eos controversie accionis seu questionis remanserit aut de novo emergerit, prefatus L. de Otingen senior, quem ad hoc partes concorditer elegerunt, assumpto sibi Cunrado de Teke duce seu Lupoldo de Wiltingen seniore vel magistro coquine aut Lupoldo iuniore de Wiltingen, si copia predicti ducis haberi non posset, per viam iuris seu amicabile compositionis expediet et finaliter nostro nomine terminabit, eorumque decisioni stare, obtemperare et cum effectu parere promiserunt fideliter in nostra presencia dicte partes. Ut autem prefato episcopo ac ecclesie sue circa destructionem premissorum edificiorum maioris securitatis efficacia caveatur^b, iuxta ordinacionis nostre decretum Ludewicus de Otingen senior, Cunradus dapifer, Henricus de Richenbach, Ekehardus de Lare, Meinwardus de Stainheim, Ulricus patruus suus et Cunradus de Lencersheim^a pro ipso L. iuniore fideiussoria caucione intercesserunt in soli-

a) So Or. b) 'avea' auf Rasur.